



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

76. An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illos sine incursione censurarum? Et an peccent laici, si absque contemptu eos tangant? Et an dicta excommun[i]catio sit Pontifici reservata? Ex p. 3. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Resol. LXXV. &c. 49

ter quantum est ex se, pœniter inobedientiæ factæ, & hæc omnia docet Hurtado, *vbi supra*, & novissimè *Cælest. in comp. Toool. mor. tr. 3. c. 9. d. ffic. 6.* vbi sic ait. Verum qui consuluit homicidium Clerici, & postea retractavit scidò consilium, & retractatio pervenit ad eum, cui factum est consilium, sequuto homicidio incurrerit in excommunicationem & irregularitatem, & an teneatur restituere damna, ex tali homicidio emersa? Respondetur quod non, si adhibuit omnem diligentiam, ut prius consilium everteret, vel ostenderet, omnibus consideratis, esse iniquum, & non amplectendum, quia in eo casu non videtur executor ipsius consilio moveri, sed potius sua malitia. Vnde sequitur quod huiusmodi consulens nec incurrit excommunicationem, neque irregularitatem, neque obligationem ad restituenda damna, quod idem dicendum de mandante, qui ante factum homicidium revocavit mandatum, & revocatio pervenit ad notitiam mandatarij, quod revocatio non innotescat mandatario, incidit in excommunicationem sequuto homicidio, & consequenter contraxit irregularitatem & obligationem restituendi omnia damna; si verò mortuus fuerit priusquam mandatarius occideret, non contrahit excommunicationem, quæ solum ligat viuentes, non autem defunctos. Ita Cælestinus, & quia hic casus frequenter potest accidere, diligenter notandus est ab omnibus Confessariis.

RESOL. LXXV.

An censura lata contra facientes comprehendat mandantes, aut consulentes?

Et aliqua alia circa hoc notantur; & tandem advertitur quod non ligatur excommunicatione, qui paratum occidere Clericum, consulit tantum percutere. Ex par. 5. tract. 9. Resol. 77.

Affirmativè respondet Panorm. in c. significavit, de Indais, n. 2. Sylvest. ver. excom. 10. q. 40. Rotella, eod. ver. i. cas. 43. num. 21. & ratio est, quia facientes & consentientes pari poena debent puniri. Secundo, nam in c. mulieres, de sent. excom. dicitur quod illi qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate vel mandato alij violenter imponunt manus Clerico, incurrunt excommunicationem Canonis, & redditur illi ratio, cum is verè committat, cuius auctoritate, vel mandato delictum committitur. Tertiò, nam quod per alios facimus, per nos facimus.

2. Sed tu contrariam sententiam tene cum Avila par. 2. c. 5. diff. 3. dub. 1. concl. 1. Portel in dub. Regul. ver. excommunicare, n. 7. Finellio, de cas. referu. cas. 4. n. 20. Altacio tom. 1. lib. 3. diff. 2. c. 2. Vgolino, tab. 1. c. 9. §. ult. Covar. in c. Alma mater, part. 1. §. 10. n. 15. Suar. diff. 13. §. 3. m. 5. Ioan. Henriq. in comp. cas. moral. c. 20. n. 10. Sanchez, de matr. lib. 3. diff. 49. n. 2. & aliis & ratio est, quia cum lex pœnalis sit odiosa, ejus verba stricte accipienda sunt, secundum propriam & rigorosam acceptionem: atqui qui mandat aliquid fieri propriè & in rigore non potest dici illud facere, quia mandare & facere sunt actiones distinctæ. Ergo non incurrit censuram latam in facientem, nisi exprimat. Tertiò, quia quando Pontifices volunt suis censuris comprehendere etiam mandantes, expressis & distinctis verbis illud declarant, ut patet ex c. ult. de penis in 6. & Clem. 1. cod. tit. & pluribus aliis iuribus quod non facerent, si mandantes semper comprehenderentur sub facientibus. Dicendum est igitur absolutè censuram latam in facientem aliquid, non ligare mandantem nisi hoc exprimat, saltem implicite, ut si excommunicetur committens homicidium, aut quacumque ra-

Toma. V.

tione ejusdem causa existēs, certum enim est tunc non solum mandantem, sed etiam consulentem comprehendendi. Sed cum hæc doctrina sit vera, tamen Coninch de Sacram. diff. 14. dub. 5. n. 188. excipit ab illa casum, nempe quando lex esset ferè frustratoria, si non comprehenderet mandantes, ut esset lex prohibens sepelire excommunicatum defunctum, si sola persona, quæ suis manibus sepelit, incurrat excommunicationem, & non id mandantes. Is tamen absque sufficienti fundamento excipit, ut in eo casu non habeat locum nostra doctrina supradicta, ob quam in cap. si civitas 17. de sent. excomm. in 6. necessarium fuit, ut interdictionem quo civitas interdicitur, etiam comprehenderet suburbia, quod Pontifex illud extenderet ad suburbia, quamvis esset ferè frustratorium, si illa comprehenderet, docet ita Hurtado, de censuris in excom. difficul. 14. n. 64.

3. Notanda sunt tamen hic aliqua. Dico igitur primò, quod quando sit dubium, vtrum in excommunicatione comprehendantur mandantes, seu consulentes judicandum est quod non comprehenduntur.

4. Dico secundo, quando excommunicatio extenditur ad consulentes, quando consilium est ita simplex ut non influat in effectum, quia alter erat alioqui facturus, & consilium non auxit voluntatem, nec conatum illius, non incurrit consulens. Et si petis quomodo cognoscatur vtrum consilium influxerit, vel ne? Respondeo ab ipso, qui recepit consilium, accipiendum est, & ex aliis conjecturis, scilicet si ille qui recepit consilium asserat se motum esse alioquo modo ex tali consilio, & voluntatem ejus auxitam fuisse, hoc sufficit, si autem hoc non possit sciri ab ipso, attendendæ sunt conjecturæ, nam si ego dedi consilium alicui ad aliquod delictum, & ille ardenti voluntate illud committit, statim signum est quod meum consilium influxit: at verò quando non exequitur statim, sed post multos dies, non potest ex hoc sumi certa conjectura, vtrum meum consilium influxerit, nam licet pro tunc, quando ego dedi consilium, forsan excitaverim, & intenderim ejus voluntatem, postea tamen transactis multis diebus potuit ille fervor elanguescere, & voluntas redire ad pristinum statum, in quo erat ante consilium, & tunc quamvis delictum committatur, ego non ero causa, ac per consequens non incurro excommunicationem: si autem facta diligentia, & consideratis omnibus circumstantiis, fuerit dubium, vtrum meum consilium influxerit in effectum licet quantum attinet ad restitutionem, non maneam ego obligatus, quia in dubiis melior est conditio possidentis, tamen quantum ad excommunicationem debeo me reputare excommunicatum.

5. Dito tertiò quod excommunicatio quæ extenditur ad mandantes non comprehendit eum, qui mandavit delictum fieri, si mandatus erat aliàs facturus delictum tam prompto animo, & tanto conatu, ac si sibi non esset mandatum, & hæc omnia invenies firmata apud Avilam *vbi supra*.

6. Nota etiam quod non ligatur excommunicatio ne qui paratum occidere Clericum consulit tantum percutere, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum sub censura. Nam ad illam incurrendam requiritur peccatum prohibitum sub censura, sed in nostro casu, qui consulit minus malum parato facere majus, non peccat; ergo, &c.

RESOL. LXXVI.

An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illos sine incursione censurarum?

E E

Sup. hoc sup. in Ref. 71. §. 1. in fine.

Sup. hoc inf. in tr. 5. ref. 105. eursim in fin. & inferius in tr. 6. Ref. 23. §. Tertiò, in fin. & in tom. 8. tr. 5. Ref. 88. §. Sed an. & in aliis ejus annot.

Sup. hoc inf. in tr. 2. ref. 17. §. Sed hic & melius inferius in tr. 6. ex doctrina resol. 46. signanter ad med. & ex doctrina aliarum resol. ejus not.

Et an peccent laici, si absque contemptu eos tangerint?
Et an de illa excommunicatio sit Pontifici reservata? Ex
 p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 12.

§. 1. **N**egativè respondet Pater Azorius, tom. 1. lib. 9. c. 9. p. 9. q. 5. ver. quæres, etiam si vendatur tantum ratione materiæ, ex quadam constitutione Greg. XIII. quæ incipit, *omni arte audito*, &c. apud Quarantam in summ. Bullary, ver. *Agnus Dei*. Latorum de libello, c. 23. n. 88. & alios.

2. Verum si sint albi, & non minio confecti, possent vendi sine vilo scrupulo ratione materiæ, ac laboris, & impensarum in eis asportandis, docent Flavius Cherubinus, in comp. Bull. tom. 2. conf. 2. Gregorij XIII. schol. 1. Naldus, in summa, ver. *sacilegium*, n. 9. Homobonus, de exam. eccles. part. 2. tr. 9. c. 5. q. 9. Villalobos, in summ. tom. 2. tr. 37. diff. 1. n. 4. Suarez, de Relig. tom. 1. tr. 3. lib. 4. c. 14. n. 6. Bonac. tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 2. 9. n. 2. Sanchez, in summ. tom. 1. lib. 2. c. 43. n. 27. qui etiam optimè notat præfatos Agnos Dei retineri posse, postquam in excommunicationem incursum est eos depingendo; prohibetur enim in constitutione illa pingere, vel retinere Agnos depictos ad vendendum, secus autem si depicti retinerentur non ad vendendum. Et hanc opinionem Sanchez, probabilem putat Bonac. ubi supra, quam novissimè tenet etiam Scott. in Bull. Pont. theore. 330. & Fagundez, ubi infra; quidquid in contrarium teneat Raynerius, in catal. cens. c. 9. excom. 64. in fine, cum aliis. Vnde ego olim consuli, potuisse quem in donum recipere, & retinere Agnum Dei depictum, & miniatum.

3. Nota etiam cum Azorio laicos non graviter peccaturos, si absque contemptu dictos Agnos tangerent. Imo ego puto cum Sanchez, nullam esse culpam illos tangere, eo quod obtinuerit, ut à laicis etiam feminis tangerentur.

4. Et tandem non retinebo hic describere verba Vincentij Filliucij, tom. 1. tr. 14. t. 6. n. 93. ubi sic asserit: Hæc excommunicatio à multis omittitur, & nescitur, ut propterea crediderim extra Urbem non fuisse receptam: passim enim cernuntur Agni Dei depicti quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ. Ita Filliuc. Verum Fagundez, part. 1. lib. 1. cap. 4. num. 25. docet hanc excommunicationem esse in viridi observantia; non est tamen Pontifici reservata, ut ex multis tradit Barbosa, de potest. Episc. part. 3. alleg. 50. n. 150.

RESOL. LXXVII.

An furantes Reliquias præter peccatum aliquam excommunicationem incurrant?

Et notatur quod Rome extat excommunicatio, ne Reliquia ex urbe extrahantur?

Et docetur posse sine vilo peccato ab Infidelibus Reliquias subtrahi.

Et an licitum sit Christianis & absque peccato Simonia emere ab Infidelibus Reliquias? Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4. Ref. 20. aliàs 18.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Azorius, tom. 1. lib. 9. cap. 8. quest. 10. ubi sic ait: Quæritur, an in Excommunicationem incidat, qui Reliquias Sanctorum ex loco Sacro in quo reconditæ, aut positæ sunt, furatur? Respondeo in cap. *quisquis*, §. *Si domum* 17. q. 4. esse constitutum: Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius, cui commissæ esse dignoscitur inde abstulerit donec in conventu admonitus legitime satisfaciatur, sciat se communione privatum. Si verò post secundam & tertiam conventionem co-

ram Episcopo satisfacere recusaverit, nemini Fidelium miscetur. Hæc ibi. Ex quibus verbis deducitur donec satisfaciatur, hoc est, nisi prius satisfecerit, non posse Sacramentum altaris suscipere: ter verò admonitum, nisi satisfecerit, esse Excommunicatione majore mulctandum. Ita Azorius.

2. Verum ego cum Magistris Lezana, in summa, Q. Regular. tom. 4. verb. *Reliquia Sanctorum*, numer. 3. Texeda in Theolog. Moral. tomo secundo, libro tertio, tractat. 2. §. 3. contr. 8. question. 2. numer. 37. contrarium sentio. Primò, quia non extat Textus, ex quo hoc intelligatur: nam cap. *Quisquis inventus*, verb. *Si quis domum* 17. question. 4. adductum ab Azorio, non loquitur de pena Excommunicationis, sed de separatione ab Eucharistia vfu. Secundo, quia ut bene Cæteranus, Sum. verb. *Excommunicatio*, Sotus 4. d. 22. question. 2. artic. 3. docent eam excommunicationem etiam si extaret, per non vsum non valere. Vide etiam Baucium, in Miscellan. tom. 2. opusc. 4. quest. 30 qui bene docet, posse Reliquias ab Infidelibus subtrahi, quia sunt in iusti possessores, & si Reliquia essent apud infideles etiam tunc ad redimendam vexationem posse adhiberi pretium, ut possideantur, ac retineantur à Fidelibus. Ratio est, quia Infideles vexant Fideles retinendo injustè Reliquias illas; ita Philarchus, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Sanchez, in summa, tom. 1. lib. 2. c. 43. n. 22. Adverte tamen, quod Romæ extat Excommunicatio, ne Reliquia ex Urbe extrahantur.

3. Nota etiam hic obiter, quod optimè docet Sylvest. verb. *Simonia*, question. secunda, Vgolinus, de Simonia, tab. 1. capite 38. numero quinto, Tott. 2. tom. 1. question. 94. articulo tertio, licitum esse Christianis ab Infidelibus Reliquias emere, quia licet absolute loquendo, Reliquias emere, vel quæstus causa illas venditioni exponere, sit aperta Simonia; ut habetur capit. *fin. de Reliq. & Venerat. Sancti*. & in Tridentino, in Decreto de invocation. veneration. & reverent. Sancti. & quia res spiritualis pretio æstimatur, & emitur; tamen quando ab Infideli emuntur, emptio illa formaliter non est emptio rei spiritualis, sed pretio dato redimere vexationem, quam exerceret Infidelis Reliquias injustè retinendo.

RESOL. LXXVIII.

An Alienatio Reliquiarum includatur in prohibitione Pauline de rebus Ecclesiæ non alienandis?

Et explanatur particula præsumptis posita in dicto Extravag. Pauli II. qua denotat reverentiam, & non comprehendit eum, qui bona fide ignoranter, aut imprudenter, seu inadvertenter facit aliquid contra dictam extravagantem. Ex part. 10. tract. 14. Misc. 4. Ref. 23. aliàs 21.

§. 1. **Q**uidam Prior bona fide donavit cuidam Mægnari partem Reliquiæ insignis; quæ sit à me Provincialis, an deberet declarare incidisse Priorem in Censuras, & penas dictæ Paulinæ? Et respondi negativè; quia licet opinio Doctorum asserentium, alienationem reliquiarum esse inclusam in prohibitionem Paulinæ de Rebus Ecclesiæ non alienandis, sit communior, probabilior, & in praxi consulenda; tamen contraria sententia, ut ego * alibi adnotavi, non caret probabilitate. Verum supradictus Provincialis instabat auctoritate Patris Palqualigi, qui nominatim contra me asserit in Q. Q. Can. Cent. 2. q. 181. §. 2. numero secundo, hanc sententiam non posse ut probabilem